

4

~~G.17.2.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

W-59.

SIGNAT. c1515CCCXIII.

I. N. 3.  
**Appetitum,  
RATIONE TRIUM-  
PHATUM,**

*Dissertatione Ethicâ  
posteriore,  
Permisu & auctoritate  
Amplissimi, Inclutæ Facultatis Phi-  
losophicæ, Senatûs,*

*In*  
Celeberrimâ ad Albim Academiâ,  
Publico Eruditorum examini  
sistunt,  
*PRÆSES,*  
**M. MATTHIAS PLATANI,**  
Dravecensis Hung.


&  
*RESPONDENS,*  
**JOHANNES LEPORINI,**

Neosoliensis Hung.

*Ad Diem XXX. April.*  
A.O.R. MDCXC.  
H. L. Q.C.

Wittebergæ, Typis Martini Schultzii.

27  
h. m. - 3658





## IN NOMINE SALVATORIS.

**I**luminem non esse tumultuarium, & inco-  
gitatum opus, non Diviniores literæ modo, verum  
ipsa ratio, & experientia testatur abundè satis,  
adeò, ut Gentiles etiam eum dignis modis depræ-  
dicare non potuerint. Inter maxima rerum suarum, naturam  
nihil habere, quo magis glorietur, aut certè, cui glorietur, au-  
tor est Seneca lib. 6. de Benef. cap. 23. Et quidni? cum solus ho-  
mo, ex tot animantium generibus, atqve naturis, particeps sit  
rationis, qvæ in Cœlum usqve penetrat, ac astrorum ortus,  
obitus, cursus, aliaqve abstrusissima rimatur, atqve cognoscit.  
Non quenquam erraturum existimo, si hominem, cum Pla-  
tone lib. 7. de Legib. Pupam Dei, artificiosissimè elaboratam,  
esse dixerit. Ast dolendum vehementer, in solâ tam nobili  
creatûrâ, reperiri turbidos, concitatosqve animorum motus,  
aversos à ratione, & inimicissimos menti, vitæqve tranqvillæ,  
ut Cic. l 4. Tusc. quæst. loquitur. In fontem tanti mali si inqvi-  
ras, alii hunc, alium alii indicabunt. Nobis, ut certius quid  
constet, placuit nonnulla consignare, qvæ ad rem enuclean-  
dam factura videbuntur.

### Thesis I.

In fontem tantæ Rebellionis inquisituri, distingvimus  
meritò cum Philosophis Christianis, inter statum naturæ *insti-*  
*tutæ*, & *destitutæ*. Qvod ad posteriorem attinet, plures assigna-  
ri posse causas pugnæ rationis & appetitūs, superiore differ-  
entiatione *Thesi* 7. exposuimus. Nunc de priori erimus solicii,  
unde nimirum hæc labes suam trahat originem.

II. Hanc quæstionem penitus consideraturo, Christia-  
nos Philosophos, à Gentilibus distingvere necesse est, qvoniam

illis conditio humanæ originis, ex principio altiore, & naturam superante, est nota: Hi, qvorum antesignani facile sunt, Pythagoras, Plato, Zeno Citticus, eorumque se<sup>t</sup>tatores Academic, & Stoici, vid. Macrobius de somno Scipionis lib. I. cap. ii. & 12. Plotinus in libro, quem de Animi in corpora descensu conseripsi, ut animas simul omnes creatas, & ob peccatum in corpora, tanquam carcerem detrusas esse statuebant; ita causam quoque ac principium malorum morum, & originem vitiorum, corpus & carnem affirmabant. Qibus suum adjicit calculum Cato, apud Ciceronem, quando de immortalitate animi differens, ita, dum sumus, inquit, in his inclusi compagibus corporis, munere quodam necessitatis, & gravi opere perfungimur. Est enim cœlestis animus ex aliissimo domicilio depresso, & quasi demersus in terram, locum Divinæ nature, æternitatiique contrarium. Hæc ille, Aristoteles nihil certi, de Principio pugnæ hujus, definire videtur, & quanquam in lib. de animâ, & aliis pasim, de eâ loqvatur, tamen, unde ea proveniat, non determinat, nisi qvod 3. de animâ cap. io. 1.53. dicit, fieri appetitus (rationalem & sensitivum) contrarios, quando ratio & concupiscentia sibi contrariantur, idque ob circumstantiam temporis; Rationem enim ad futurum respicere & ideò objectum retrahendum, h. e. hoc instanti non appetendum, svadere: concupiscentiam vero, seu appetitum sensitivum, in præsentem delectionem, quæ ex objecto resultat, ferri. De reliquis Philosophis gentilibus non attinet dicere.

III. Christianos qvod concernit, illi quoque in varia abeunt sententiarum divertia. Quid statum purorum naturalium admittunt, & calculo suo approbant, eundem cum Platone, Stoicis, aliisque Ethonicorum Magistris, statuunt fontem, atque originem, hujus tam infaustæ rebellionis. Ita enim Bellarm. lib. de gratia primi hominis cap. 5. Constat homo, inquit, naturaliter ex carne & spiritu, appetitu & ratione, adeoque contrariis propensionibus, unde oritur pugna quædam, & ex pugna ingens bene agendi difficultas, dum una propensio alteram impedit. Sic ergo ex ipsa conditione materia in naturam humanam morbus vel languor quidam dimanavit. Quem, ut ipse fatetur loc. cit. omnis scholasticorum antecedit chorus. Vid. B. Qvenstedii Syst. Theol. part. 2. sect. 2. quest. 2. p. m. 12. seqq. ubi plures hujus sententiaz recenset Patronos. IV.

IV. Ludovicus de la Forge Med. apud Salmurienses D.  
eract de mente humana cap. 23. §. 6. pag. m. 195. novum profert con-  
flictūs, inter partem superiorem, & inferiorem animæ, princi-  
pium. Tribuit enim illum glandulæ pineali, sive conario,  
(qvod, ex mente Cartesii, sedem animæ principalem statuit,  
pag. 118 §. 27. l. cit. eandem namque hic fovet sententiam art. 31. 32.  
& aliis pasim tract. de Passionibus Animæ) ejusque diverso impul-  
sui, & affectioni; sic enim, motus, inquit, quo spiritus glandulam  
ab unâ parte impellunt, & quo ab alterâ parte anima eam suâ voluntate  
repellit, facit, ut anima eodem fere tempore, se impelli sentiat, ad eandem  
rem appetendam, & fugiendam. Seqventi §. inquit, Causa istorum  
conflictuum oritur ex unione mentis & corporis, & ex ejus unionis condi-  
tionibus, secundum quas corpus mentem obligat ad attentionem objecti,  
quod fortuer agit in ipsam, iunc etiam cum se ab eo avertire, vel de re alia  
cogitare mallet. Non absimilia habet Cartesius l. cit. art. 47. ubi,  
postquam conflictus illos, quos vulgo sibi imaginantur (ut ipse  
putat) inter partes inferiores & superiores, in diverso motu  
glandulæ constituit, hæc subjicit: Error, per quem ei (animæ)  
imponuntur quasi in scena diverse personæ, quæ fere semper sibi mutuo  
contrariae sint, inde solum processit, quod non bene distinctæ fuerint ejus  
functiones, à functionibus corporis, cui soli tribuendum est id omne, quod  
in nobis potest observari repugnare nostræ rationi, adeò ut nulla hic alia  
lucta sit, nisi quod cum glandula, quæ est in medio cerebri, possit impelli  
ex una parte ab anima, & ex alia à spiritibus animalibus, qui nil nisi  
corpora sunt, sœpe eveniat, ut hæc due impulsiones sint contrariae, & ut  
fortior impediat effectum alterius. Conf. idem art. 136. ubi nexum  
animæ cum corpore dicit esse principium, cui omnia, quæ de  
Passionibus scripsit, innituntur.

V. Ab his duabus sententiis, quas nunc exposuimus,  
non multum differt Lipsius, Vir clarissimus, sed Stoicæ Philo-  
sophiæ nimium deditus, quando lib. 1. de Constant. Animi cap. 5. as-  
serit, pugnæ in homine causam corpus esse, quod junctum est  
animæ, sed concordia quadam discordi. Ejus pugnæ duces  
rationem & opinionem constituit, quorum illa, pro animâ, & in  
animâ, hæc, pro corpore, & in corpore pugnat. Et paucis in-  
terjectis: Nam ipsa anima, inquit, quam labet corporis & conta-

A 3 ge sen-



ge sensuum graviter corrumpit, & infecta sit, tamen vestigia quædam ortus  
sui alie retinet &c.

VI. Non desunt etiam, qui in sola objecti diversitate, principium pugnæ illius querunt, eò, quod sensu jucundum, rationi vero honestum, arridere soleat. Aliorum opiniones datâ operâ prætero.

VII. Nos mediâ velut incedentes viâ, fontem & principium pugnæ rationis & appetitus sensitivi, à tristissimo lapsu primorum Parentum derivamus. Illos enim Deus, pacis Princeps, & harmoniæ amantissimus, ita considerat, ut facultates inferiores, sine omni repugnantia, obsequium præstarent superioribus, & ad nutum earum sese componerent. Postquam vero homo peccavit, h. e. postquam voluntas hominis, Divinæ voluntati obsequium recusavit, soluta est pulcherrima illa, svavissimaque harmonia, & inferior pars in homine, superiori, velut pœnâ talionis voluntati, Divinum mandatum detrenti, debitâ, superiori denegare cepit obsequium; hinc omnis mali scaturigo. Hæc, quanquam non nisi ex Diviniорibus literis plenè & verè depromuntur, illustrari tamen quoddammodo ex rationibus Philosophicis haud inconcinnè possunt, de quibus in sequentibus.

VIII. Qvod igitur ad argumenta eorum, qui contrarium sentiunt, attinet, ea paucis expendemus, spicilegium, post uberrimam aliorum Messem, instituturi. Et gentilibus quidem Philosophis non adeò vitio vertimus, quod in veram pugnæ hujus originem inquirere nequiverint, cum ea non tam ex naturæ, quam Scripturæ libro depromitur, quorum posteriore cum destituerentur gentiles, quid mirum, quod tam turpiter subinde fuerint hallucinati; quare non multum sententiis eorum refutandis immorabimur. Et Pythagoræ quidem, Platonis, Stoicorum, & Academicorum opinio falsâ nititur hypothesi, animas omnes simul à Deo fuisse creatas initio mundi, & tanto quidem numero, ut stellas possent exæquare, ut habet Plato in Timæo, easque postmodum in corpora, tanquam carceres, ob delictum quodpiam, detrusas. Quæ sententia plurimos habuit Patronos, & i) quidem Judæos; Sic enim R. M. nasseh



nasseh Ben Israël lib. de creat. probl. 15. Non solum est communis, inquit, opinio omnium Hebreorum, animas humanas præcessisse corpora, sed eam opinionem etiam amplexi sunt Hermes Trismegistus, Pythagoras, Plato, & alii plures ex gentilibus quæ certè ad illos ab Hebreis manavit. (Nos autem contra à gentilibus ad Hebræos dimanasse existimamus.) 2) Inter Christianos Origenem, lib. 1. περὶ αἰχμῶν cap. 7. (vid. Calov. Harm. Calixt. pag. m. 500.) qvem eundem errorem errasse perhibet Bellarm. l. 4 de amiss. grat. cap. 11. Vid. Rudrauffi Philosophia Theologica exhibitione 16. pag. m. 211. §. 12 Conf. Jac. Thomasius Disput. de orig. animæ rationalis sect. 3. Item Slevogt. Disp. 2. de Creat. primi hominis. Verum cum hæc hypothesis ex Scripturâ evertitur facile, corruit qvoqve omnis ei superstructa rationatio. Qvin imo philosophicis etiam arietibus nullo negotio subrui potest: Aristotelis sententia causam aliquam expavit partiale, non vero primam exprimit originem, qvare ei refutandæ nihil immorabitur, qvin potius.

I X. Ad Christianorum pergitus ratiocinia, qvæ anteqvam singula expendamus, in genere qvædam permittere, placet. Ac sapientissimo, optimoqve Creatori Deo, hanc rebellionem imputari nec debere, nec posse, Philosophia sanior etiam docet. Nam 1) à perfectâ causâ, qvalis Deus est per essentiam, non nisi perfectū provenire, in aprico est. Atqvi vero, qvæ est ista perfectio, ubi perpetua datur inferiorum partium, seu facultatum, cum superioribus pugna, & mutuusconflictus, nō ad perfectionem, sed ad destructionem vel alterutrius, vel utriusqve partis tendens? Deinde 2) si summè perfecto, qvalis Deus est, nullus adscribi potest defectus, qvomodo defectum harmoniæ, qvalis in homine datur, Deo adscribemus? Certè sapientissimus ille opifex, ut omnia ordine, pondere, & mensurâ Sap. u. v. 22. produxit, ita hominem qvoqve, creaturarum perfectissimum, nobilissimumqve, atqve, ut Seneca lib. 1. de ira cap. 5. ait, optimum commendatissimumqve opus, in tantâ harmonia creavit, qvanta non ad destructionem, sed perfectiōnem illius atqve conservationem faceret. Hinc Plato: ὁ γένος ἀεὶ μετέτρεψι, qvafsi dicat: qvicqvid facit, id omne perfectum est, & optimâ constans harmoniâ. Probat id 3) natura bonitatis, qvalis



qvalis per essentiam in Deo reperitur. Quæ bonitas illa, quæso, est, aut bonitatis communicatio, creare hominem cum naturali pugnâ rationis & appetitus, sive in tali statu, in quo nec justitia, nec sapientia, nec veritas est, nec Deus ullo amore, nisi carnali & virtioso diligi potest. In quo nulla fruitio Dei, neque parva neque magna, nulla beatitudo supernaturalis, nulla naturalis, in quo nullus amor, nisi creature, nulla libertas arbitrii, nisi noxia, nullus actus, nisi perversus & malus, in quo perpetua contra semetipsam lucta creature, quam nec Deus dare, nec creatura sedare potest, cui naturalia sint sola, & omnia peccandi desideria, quibus eadem naturæ lege indulgere liceat, quâ etiam libet? ut statum purorum naturalium in compendio describit Cornelius Jansenius, Episcopus Irensis, in Augustino suo, lib.3. cap.15. Certè Plato, solo rationis lumine pollens, meliora sensisse videtur, causamque tanti mali, non creatori, sed alteri cuiquam rei, tribuendam esse, docet, quando alibi inquit: *Prisca quidem natura talis (integra ac recta) erat, integri enim eramus: Jam vero propter injustitiam divisi sumus à Deo, quemadmodum Arcades à Lacedæmoniis.* Vid. in Conviv.

X. Sed audiamus jam Bellarm. cum complicibus, fontem pugnæ hujus in conditione materiæ locantem; cui eleganter Resp. B. Meisn. Anthropol. S. Dec. 1. disp. 2 quest. 1. §. 22. pag. m. 41. quærimus, inquiens, quam Bellarm. intelligat materiam? num corpus? sed huic appetendi vis non est propria: num animam? ast bæc incommodè vocatur materia. Nam aut materia inficit animam, & ei adversatur, aut anima materiæ, h. e. corpori, est contraria. Non prius, qvia materia est principium merè passivum. Nec est, ut appetitum eam habere contendas, qui sit actus: nam id pro nobis facit. Si enim materia, tanquam ignobilior suâ forma, appetitu qvodom est prædita, (qvalem ei adscribit Heereboord Coll. Phys. Disp. 1. th. 39. seqq. & alii Physici, Conf. Stalii Reg. Phil. part. 2. Disp 8. reg. 4.) appetit sui perfectionem, non vero destructionem, qvanquam appetitus ille, nihil aliud sit, qvam aptitudo qvædam recipiendi formam; Non etiam posteriorius, qvia nulla forma adversatur suæ materiæ, secus non ejus perfectionem, sed interitum, & destructionem intenderet, qvod absurdum. Adde, Deum Adamo immediate inspirasse animam;



animam; Jam, si ab anima naturaliter emanat propensionum pugna, Deus peccati causa primaria constituitur. Hoc absurdum declinaturus Bell. non veretur afferere, rebellionem illam præter intentionem Dei ex ipsâ materiæ conditione provenisse. Sed incidit in Scyllam, dum vult vitare Charybdin. Dum enim conditorem O. M. à causâ peccati liberare conatur, omniscientiam atque omnipotentiam eidem detrahit, ut præclarè docet B. Meisn. loc. cit. Argumenta, qvæ in contrarium profert Bell. lib. de gratia primi hom. cap. 6. confutata sunt à B. Dannhaw. Hodom. Papæ Phant. 5. pag. m. 998. seqq. Conf. Calov. Harm. Catxi. Papijst. sect. 3. de orig. animæ §. 84. pag. m. 556. seqq. Qvenst. Syst. Theol. part. 2. sect. 2. quest. 2. pag. m. 12. seqq. & auctores ab eo pag. 15. citati.

XI. Qvod ad sententiam Ludovici de La Forge atque Cartesii attinet, videtur ea petere principium, 1) in eo, qvod animæ principalem sedem statuant glandulam pinealem, qvam tamen controversiam in præsenti meam non facio, sed aliis di-judicandam relinquo. Vid. Barthol. anatom. lib. 3. cap. 6. 2) qvod omnes affectus ad corpus referant, nec eos animæ imputari posse, nisi qvatenus corpori juncta est, afferant, vid. Cartes. tract. de passionibus animæ art. 137. paucis internis commotionibus exceptis, qvas in animâ, non nisi ab ipsâ animâ, excitari, & eo ipso ab aliis passionibus distingui, qvæ semper pendent à qvadam motu spirituum, contendit l. cit. art. 147. Et finge, nos di-versum illum glandulæ impulsu[m] admittere, manet nihilominus in qvæstione, utrum in statu innocentia[t] talis contrarius impulsus locum habiturus fuisset? qvod ex rationibus mox subjungendis ih. 13. admitti non potest. Qvæ de unione mentis & corporis afferunt, non difficile confutantur. Nam aut per mentem intelligunt voluntatis actum, in objectum propositum, necessario tendentem, & ita tollunt libertatem voluntatis, qvam tamen ipse adserit Cartesius l.c. art. 41. qvando inquit: voluntas adeò libera est suâ naturâ, ut nunquam possum cogi; aut intelligunt intellectus, de objecto proposito, judicium (qvod omnino de La Forge l. cit. intendere videtur) ita denegant imperium voluntati, quo intellectui imperat circa actus exer-

citium, & conversionem ad alia obiecta, qvod in superiore dissertatione adstruximus.

XII. De Lipsii opinione non multum laborabimus, cum ea falso Stoicorum nitatur fundamento, corpus in pœnam homini concessum, & carcerem animi esse, Hornej. *Phil. mor. l. i. cap. 8. n. 14. pag. 121.* Deinde non multum differt à Bellarm sententia, qvare iisdem etiam confutari potest rationibus. Non negamus eqvidem corpus hoc mortale aggravare animam, teste libro sapientiae *cap. 9. v. 15.* sed hoc inficiamur, animam primi hominis, corporis contagio infectam fuisse, qvum vitium, perinde ac virtus, in animo potius, qvam in corpore resideat.

XIII. Qvi in objectorum diversitate originem pugnæ hujus qværunt, cum reliquis oppidò falluntur. Nam, qvam largiamur, in statu naturæ post lapsum, objectum causam esse diversarum motionum in homine, ita, ut aliud intellectus appetendum judicet, in aliud feratur appetitus; vel idem objectum intellectus fugiendum invadeat, appetitus prosequendum, vel contra: inde tamen non lequitur, eundem dissensum, in statu naturæ institutæ locum habuisse, qvia ratio & appetitus, non sunt oppositæ facultates, sed subordinatae, unde facile colligitur, appetitum non appetuisse objectum ullum, nisi id ab intellectu cognitum, & à voluntate ei imperatum fuisset, nec affectus diutius duraturos fuisse, qvam homini placuisset, nec mediocritatem excessuros, vid. B. Meisn. *antrop. S. Dec. i. Disp. i. quest. 6. §. 27. pag. 24. 25.* Calov. Harm. Calixt. *Pap. de puris natural. §. 11. 12. seqq.* Quid? qvod non sint adversa bona jucundum & honestum, sed tantum diversa. Qvi ergo fieri potest, ut in his, tanquam objectis intellectus & appetitus, pugna hæc unicè consistat?

XIV. Manet itaqve thesis nostra, qvâ pugnam hanc non naturalem, h. e. naturæ primævæ vitio ortam, sed accidentalem, statuimus, ejusque principium à lapsu parentum nostrorum derivamus.

XV. Ecqvæ vero tanti mali medicina? unica & sola, qvæ ex libro naturæ hauritur, (nam de tali nobis h. l. est sermo) actionum hominis liberarum, cum internarum, qvales sunt appetitiones



titiones & affectus, tum externarum, qvibus virtutis habitus comparari solet, & qvales à facultate locomotivâ eliciuntur internumqve intellectus judicium, & appetitum conseqvuntur, ad dictamen rectæ rationis directio, & rectificatio; hæc enim sola efficit, si rectè atqve mature adhibeatur, ut ratio egregiam de appetitu sensitivo reportet victoriam. Sub hac directione vero, tanquam causa proximâ, comprehendimus etiam causam remotiorem, qvalis est lex Divina, & naturalis, qvippe cum illa hanc necessariò presupponat. Admittere vero actiones hominis directionem moralem, evincit 1) Summi Boni practici acquisitio, sive ultimus omnium actionum moralium finis, qvi certè, absqve directione actionum, acquiri non potest. Dari vero ejusmodi finem, negatio processus in infinitum demonstrat, qvod contra Democritum, Leucippum, & Epicurum probat Heereboord *Exercit. Eth. 4 Th. 1. & 2.* 2) qvia frustra essent omnia præcepta moralia, qvibus homo ad bene beatique vivendum instruitur.

XVI. De externis actionibus non admnodum solliciti erimus, qvandoqvidem eæ facilius ad mediocritatem rediguntur, si modo internæ justo freno fuerint coercitæ. Diximus autem actiones internas esse vel appetitiones, (vocabulo laxius sumpto, qvatenus & aversionem includit) qvæ nihil sunt aliud, qvam actus ab appetitu sensitivo eliciti: vel affectus, qvi appetitiones ipsas concomitantur, & spectantur h. l. non tam in essentia sua, qvomodo rectius passiones, qvam actus dicuntur, qvam in vi & efficacia, in quantum appetitum movent, vel ad prosequendum, vel ad fugiendum objectum; & de his potissima lis est inter Philosophos, utrum nimirum sint eradicandi prorsus, an vero coercendi, & ad obsequium rationis revocandi? hoc Peripatheticis, illud Stoicis, placet. Hanc controvrsiam alii verbalem tantum, realem alii esse existimant. Prius probatur Ciceroni lib. 4. de Fin. cui nostrum adjicimus calculum. Nec obstat, qvod Lipsius lib. 1. manud. ad Phil. Stoicam dissert. 15. Ciceronis judicium rejiciat, tanquam Academici, adeoque ex professo Stoicorum hostis: nam & Augustinus lib. 9. de Civit. D. cap. 4. ant nihil, ant pæne nihil, ait distare Stoicorum, aliorumqve Philosophorum

losophorum opinionem de passionibus, & perturbationibus animorum, &  
res ipsa, si recte expendatur idem demonstrat luculentiter. E-  
nimvero, Stoici minores & langvidiores motus, nequaquam  
nomine affectum dignantur, sed eos principia tantum, affe-  
ctibus præudentia, nuncupant, ut patet ex Senec. Epist. 116.  
quare eos etiam tolerant, nec extirpando docent, quia apti-  
nati sunt rationi obtemperare. Majores vero atque validio-  
res, quos perturbationes, vel, aversas à recta ratione, contra  
naturam animi, commotiones, (ut Cic. 4. Tusc. q. ait) appellant,  
opprimendos & extirpandos cupiunt. Peripathetici contra  
omnes motus animæ sensitivæ, è cognitione objecti, in appre-  
titu excitatos, adeoque tam majores, & vehementiores, quam  
minores, & langvidiores, affectum nomine insigniunt. Hinc  
quos Stoici extirpant, eos Peripathetici, tanquam mediocrita-  
tem excedentes, pariter exturbant. Quos hi rationi obsequi,  
atque mediocritatis limites non excedere ajunt, hos illi ne af-  
fectum quidem nomine dignantur. Utrique igitur idem docent,  
in verbis dissident, in re ipsa vero consentiunt.

XVII. Neque ~~animis~~ Stilponis & Zenonis confundi-  
vult Seneca Epist. 9. quorum ille omnimodam sapienti adesse  
debere voluit, ita ut ne sentiat ullum affectum, & perturba-  
tionem: hic, illam tantum, qua superare posset, & opprimere  
affectus, non ut eos non sentiat, sed ut vincat. Vid. Lips. l. 3.  
*manud. ad Phil. Stoic. dissert. 7.* Stoicus enim sapiens sensum malū  
habet, sed ratione vincit: Stilponis, aut Pyrrhonis potius, ex  
mente Cic. lib. 4. acad. q. ne sentit quidem. Quid? quod Se-  
neca, maximè Stoicus, indulgendum esse honestis affectibus,  
Ep. 104. eosque à quodam quasi naturali fluere principio Ep. 116.  
afferat. Undecolligimus 1) non omnes affectus suā naturā ma-  
los, nec 2) omnes eradicandos esse, Stoicorum quoque fuisse  
sententiam. Denique 3) si à naturali principio fluunt, non  
posse penitus evelli omnes, nisi ipsam naturam simul exuen-  
dam esse, quis statuere vellet. Vid. Hornej. Phil. Mor. lib. 2. cap.  
6. n. 6. seqq. & lib. 3. cap. 1. n. 12. seqq. Piccol. Phil. Mor. gr. 1. cap. 25. seqq.

XVIII. Quicquid hujus rei sit, nos pro ratione instituti  
nostrī distinguimus affectus, in simplices & mixtos, illi per se  
& sua

& suâ naturâ indifferentes censentur, sed pro ratione circumstantiarum, vel bonitatem, vel malitiam moralem sortiuntur: hi, vel solo nomine teste, cum pravitate conjuncti sunt, ut recte sentit Aristot. 2. Eth. 6. 1. 39. § 40. v. g. invidia, θηραπεία, impudentia &c. illi directionem admittunt. hi non item; illi corrigendi & refrenandi sunt, hi prorsus extirpandi.

XIX. Cœterum quomodo singuli affectus compescendi, & sub obsequium rationis redigendi sint; longum foret h. l. disquirere. Fecere id perplures Moralis Philosophiæ Doctores, Heereboord in *Exercit. Eth.* qui primo generalia sedandorum affectuum adducit remedia, *Exercit. 18. § 3.* deinde in sequentibus Exercit. ad specialia uniuscujusque descendit Idem fecit Cartesius, quando art. 145. tract. de *Passion. animæ*, generositatem & providentiam Dei, ad affectus sedandos, plurimum facere contendit. Et ex eo Ludovicus de La Forge tract. de *mente hum.* cap. 28. aliique plures. Nos pauca meditabimur, quæ appetitum præparatura videbuntur, ad viatoriam rationi concedendam.

XX. Horum pleraque eleganter expressit Plut. lib. de *educ.* puer. quando inquit, *ad agriculturam requiritur bonum solum, deinde peritus colonus, tum semina frugi: ita planè hic natura solo, agricola magister, semini præcepta atque instituta respondeant.* Hinc elicimus, requiri bonam *indolem*, & naturalem *dispositionem*, quæ plurimum variare solet. Natura eodem, uti in cœteris, sic in homine, semper intendit quod optimum est, atque perfectissimum; videmus nihilominus subinde homines nasci servili quoddam præditos ingenio, quos si cum Arist. ex 1. Polit. 5. servos naturâ appellaveris, parum à veritatis tramite aberraveris. Hi non tam ad virtutem, quam ad vitia feruntur, & nisi aliorum imperio, atque moderamini mature subjiciantur, præ cœteris in turpisima quæque prolabuntur. Qui vero clementiorem nanciscuntur parentem naturam, à teneris statim ungivulis, scintillas virtutum produnt, faciliusque virtutis habitum, vietis affectibus, sibi comparant.

XXI. Ad hos bonæ mentis excitandos igniculos non parum affert momenti *institutio*, quæ corpus & animam optimè

instrui, Platō lib.7. de Legib. sapienter censuit. Semina enim in cor-  
poribus humanis Divina dispersa sunt, (inquit Seneca, Epist.73 qvod  
tamen caute accipiendum) quæ si bonus cultor excipit, similia origi-  
ni prodeunt, & paria his, ex quibus orta sunt, surgunt. Si malus, non a-  
liter, quam humus sterilis, ac palustris, necat, ac deinde creat purgamen-  
ta pro frugibus. Et sanè, multum est à teneris asvescere, ac, velut  
surgentes à radice arbusculas, ita animos adolescentulorum in  
partem contrariam ei, ad quam suapte naturā propendent, in-  
flectere. Unde sapientissimè Socrates dixisse fertur, oportere,  
vel non gignere filios, vel, si eos genuerimus, de rectâ eorum institutione  
maximè esse sollicitos: inaniter enim colitur terra, jaciuntur se-  
mina, seruntur plantæ, si demum ortæ, sine curâ, & cultu, per-  
eunt, & pervertuntur. Et quis neget institutioni bona inge-  
nient vim inesse? format illa corpus, format appetitum, format  
rationem: illud, ne temperamentum alat, appetitum contra-  
rationis dictamen, inconcinno spirituum motu, excitans: i-  
stum, ne frena rationis mordeat, sed adjussa illius sese compo-  
nat: hanc, ne in judicando ad extrema declinet. Nec vero  
teneros modo animos potens est inflectere salutaris institutio,  
verum adultiores etiam, qvanquam majore cum labore atque  
periculo, frangas enim citius, inquit Quintil. lib.1. instit. cap.3. quam  
corrigas, quæ in pravum induruerunt: nam non desunt exempla  
eorum, qui pesimos mores, bonâ institutione vicerunt, atque  
mutarunt in meliores. Ita Polemo auditâ Xenocratis oratione,  
luxuriam exuit, egregiusque postea Philosophus evasit. Val.  
Max. l.6. cap.9. Themistocles, ineuntis adolescentiæ vitia, in-  
stitutione emendavit, adeò ut anteferretur ei nemo, pauci pa-  
res putarentur, suoque exemplo demonstratum dedit, ex aspe-  
ris & indomitis pullis, utiles aliquando eqvos reddi, modo recta illis dis-  
ciplina contingat, ut auctor est Plut. in vita ejus. Plura legere vo-  
lentem ablegamus ad Piccol. Phil. mor. qui de institutione gra-  
du 10. à cap.30. ad finem usque operis, prolixè, & eleganter dis-  
serit: cui jungi poterit J. Conr. Dürrius Ethicae Parad. part.3. sect.  
1. cap.1. aph.2. pag.108. seqq. & in Problem. Eth. probl. 39. p.m.73. seqq.

XXII. His accedat conversatio honesta virorum & eru-  
ditorum, & bene moratorum, siquidem mores eorum. cum quibus  
versaris

versari plurimum possunt ad virtutes & vitia, inquit Plato de anima mundi: & Seneca Epist. 94. post medium: nulla res, magis animos honesta induit, dubiosque & in pravum declinantes revocat ad rectum, quam bonorum virorum conversatio. Paulatim enim descendit in pectora, & vim preceptorum obtinet, frequenter audiri, aspici frequenter. Nec alienus ab his monitis est Cartesius, quando tract. de Pass. an. art 50. nullam tam imbecillem esse animam, statuit, quæ non posset, cum bene dirigitur, acquirere potestatem absolutam in suas passiones.

XXIII. Notandum tamen, hæc requisita, ad oppugnandum & debellandum appetitum sensitivum, ita invicem debere conjungi, ut alterum ab altero minimè divellatur. Nam neque natura sine educatione, institutione, atque conversatione honestâ, neque hæc, absqve naturâ, firma esse possunt. Potest quidem diutissimâ affectione aliquis virtutis habitus comparari: verum si naturalis inclinatio mala fuerit, & repugnans, facile amittitur, qvæ longo usu comparata fuit, bene agendi promptitudo. Ita etiam si bonam qvis habuerit natu ram, & omni destituatur institutione, facile seminia illa virtutum, in naturâ hærentia, corrumpuntur, naturalique, qvalis post lapsum reperitur in homine, malitiâ suffocantur.

XXIV. His omnibus si actiones virtuosæ, continuum que earum accesserit exercitium, appetitus ita disponetur, ut non temerè objecti alicujus jucunditate à sensibus oblati, capiatur, nec voluptate corporis (qvæ non quidem extirpari penitus, suspecta tamen haberi, & prudenter temperari debet,) facile moveatur, qvin potius sese ad dictamen rectæ rationis componat. Virtutis enim exercitium summum esse contra passiones remedium, fatetur Cartes. l. cit. art. 148. Si vero quando affectus orientur, efficiet, ut illi mediocritatem non excedant, vehementiaqve suâ judicium intellectus non impedian, nec voluntatem in consensum rapiant.

XXV. Huc qvoque non incongruè revocari possunt ea, qvæ Cartes. l. cit. art. 211. tradit, contra passiones remedia. Is meminisse jubet eum, qui affectibus incipit præ occupari, i) omnia,



omnia, qvæ se imaginationi offerunt, spectare ad animæ de-  
ceptionem. 2) Abstinendum esse à ferendo judicio, tam diu,  
dum affectus sedati, compositi que fuerint. 3) Avertendas  
cogitationes, donec tempus, & qvies sedaverit commotionem,  
qvæ est in sanguine. 4) Annitendum, ut voluntas in consi-  
derandis, & sectandis rationibus, feratur ad eas, qvæ contra-  
riæ sunt illis, qvas passio profert, etiam si minus validæ appa-  
reant. Qvæ si cum grano salis capiantur, vituperari nimium  
non merentur. Ita fiet, ut appetitus non præcurrendo judi-  
cium intellectus, nec voluntatem ad partes suas pertrahendo,  
herbam rationi porrigat, viatumque sele fateatur. Id qvod  
non quidem semper, sœpius tamen fieri posse, possessio Summi  
Bonii luculentissimè evincit. Atque hæc erant, qvæ in hanc rem  
dicere ac meditari, animus fuit; qvibus, verbis subtilissimi  
Philosophi Piccolom. *Phil. Mor. gr. 8. cap. 60. pag. m. 750. 751.* finem  
imponimus. Ita ille: Recordari & accuratè meditari tenemur, nos  
esse Chaos ab Anaxagorâ excogitatum, cui mens præest, à qua cuncta in  
ordinem redigi debent, quod nisi fiat, pernitiosâ confusione marcescimus.  
Meditari tenemur, nos esse mundum litis ab Empedocle decantatum, cui,  
nisi mens, amicitia caput, internam pacem largiatur, perennis contro-  
versia competit. Insuper altâ mente revolvendum, nos dici, & esse, par-  
vos mundos, quod ob hanc præsertim causam à Deo ordinatum esse cen-  
se, ut moneamur, perfectionem nostram in eo esse positam, ut cum magna  
mundo conformemur; in magno mundo præest sapientia Dei, ita in nobis  
dominari debet nostra mentis; in mundo, terrena subjiciuntur Co-  
lo, & ab eo diriguntur, ita in nobis terreni sensus à  
rectâ ratione duci ac perfici de-  
bent.

## Statori concordiæ gloria.



Ung. VI 59




f

56.

VD17.

Zur 2000 RU







I. N. 7.  
**Appetitum,  
RATIONE TRIUM-  
PHATUM,**  
*Dissertatione Ethicâ  
posteriore,  
Permissu & auctoritate  
Amplissimi, Inclutæ Facultatis Phi-  
losophicæ, Senatûs,  
In  
Celeberrimâ ad Albim Academiâ,  
Publico Eruditorum examini  
sistunt,,  
PRÆSES,  
**M. MATTHIAS PLATANI,**  
Dravecensis Hung.  
&  
*RESPONDENS,*  
**JOHANNES LEPORINI,**  
Neosoliensis Hung.  
*Ad Diem XXX. April.*  
A.O.R. MDCXC.  
H. L. Q. C.  
Wittebergæ, Typis Martini Schultzii.*

27

h. m. 3658

